

# BREU APOSTOLIC DEL SANT PARE

## BENET XV

A

### FOMENT DE PIETAT CATALANA



XTAT Barcinone, jam inde ab anno MDCCCCXIII pium opus vulgo appellatum FOMENT DE PIETAT CATALANA, fru-  
giferum ad finem erectum fovendae pietatis inter homines cujusque conditionis tum verbo, tum praelo impressis scrip-  
tis. Plures Sacerdotes, communem vitam agentes, operi adlaborant, et tum religiosos libros in vulgus effundere, tum Sacras Missiones age-  
re, tum spirituales exercitationes habere student. Nunc autem cum hodiernus pii Instituti Moderator enixas Nobis preces adhibuerit ut Rectoribus, Collaboratoribus, Patronis ac Sociis Operis ejusdem, non-nullas indulgentias, ac privilegia largiri de Apostolica benignitate dignemur, Nos, inspectis etiam amplissimis sufragiis tam Episcopi Bar-  
cinonensium quam S. R. E. Cardinalis Archiepiscopi Tarragonensium, optatis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis praesentibus et futuris Re-  
ctoribus, Collaboratoribus, Patronis et Sociis pii Operis appellati FO-  
MENT DE PIETAT CATALANA, die quo primum in idem Opus coopten-  
tur, si vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacra-  
mentum sumpserint, *plenariam*; et quotannis die festo Virginis a Monteserrato, colestis enunciati operis Patronae, si item admissorum confessione expiati ac colestibus recreati epulis, propriam Ope-  
ris Ecclesiam, si habeant, secus quamvis sacram Aedem, a medietate diei praecedentis ad mediam usque noctem ejusdem festi visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione,

peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo die injuncta pietatis opera impleant, etiam *plenariam* omnium peccatorum suorum Indulgientiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem Moderatoribus, Collaboratoribus, Patronis et Sociis, quoties quamvis elemosynam in pii operis emolumentum conferant, de numero poenalium in forma Ecclesiae solita *trecentos dies* expungimus. Sacerdotibus autem, qui ex officio enunciato pio Instituto adlaborant, facultatem concedimus benedicendi Cruces, Crucifixos, Sacra Numismata, Coronas precatorias et parvas D. N. J. C., Deiparae Virginis et Sanctorum ex metallo statuas, eisque applicandi indulgentias, quae continentur in elenco edito die V mensis Septembris anno MDCCCCXIV, non exclusis, quod ad coronas precatorias, indulgentiis quae a Sancta Birgitta appellantur, itemque illis Cruciferorum Patrum; simulque veniam facimus benedicendi atque imponendi consuetis ritu ac formula, quatuor scapularia S: Cordis Jesu, B. M. Virginis a Monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis, et Septem Dolorum B. M. Virginis. Sacerdotibus vero in domibus Instituti vitam communem agentibus largimur, ut pro interiori respectivae domus Sacello, altaris personalis privilegio, quater in hebdomada gaudeant. Denique Sacras Missiones, quas Institutum instruit ac fovet, peculiaribus gratiis ac privilegiis augere et decorare volentes, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, decernimus, ut Missionarii in dictis Sacris expeditiobibus operam navantes, facultate polleant benedicendi etiam publice Cruces, Crucifixos, Sacra Numismata, Coronas precatorias et parvas statuas, eisque applicandi indulgentias omnes, quas supra numeravimus: pariterque queant quatuor dicta scapularia benedicere atque imponere, etiam adhibita formula generali, et cum dispensatione adscribendi nomina alicui confraternitati. Ad haec Missionariis dictis veniam largimur impertiendi in fine concionum benedictionem Apostolicam cum Crucifijo et sub Crucis unico signo, cum *plenaria* addita indulgentia ab iis fidelibus lucranda, qui saltem quinque e dictis concionibus audierint. Tandem fidelibus omnibus ad communiones generales ab ipsis Missionariis, intra respectivam Missionem instructas, confluentibus, *plenariam* omnium peccatorum suorum indulgentiam et

remissionem misericorditer in Domino tribuimus. Porro largimur Re-  
ctoribus, Collaboratoribus, Patronis, Sociis et fidelibus supradictis  
liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vita labes  
poenasque expiare, si malint. Contrariis non obstantibus constitutio-  
nibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus in contrarium  
facientibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituri. Volumus  
autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam  
impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo perso-  
nae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides  
adhibetur quae adhiberentur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel  
ostensae. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris,  
die VI m. Augusti, anno MCMXXI Pontificatus Nostri septimo.

P. CARD. GASPARRI

*a Secretis Status.*